è corpore discessuram per os, tanquam januam aliquam, exire: ideóq; quum
animam eorum, qui in mortis articulô constituti, in primo ore seu labris hære-
re crederent, emigraturam animam hoc pactô excipere, inque se transferre cupie-
bant. Iterùm Senecam audiamus. Is namq; ait, Non dubitare se: quin jam
anima in primis labris esset, nec magnâ vi abstraheretur à corpore. Ex eadem
nempe fide Veterum loqui amat, caussamq; & ipse tacitè suggerit, cur osculari
rituros soliti fuerint Veteres. Annuli deinceps morientibus, quos in vitâ digitis
gestaverant, à proximis & amicis detrahi solebant. Meminit moris hujus Plini-
us, Gravatis somnô, inquiens, aut morientibus religione quadam annuli detra-
huntur. Exemplorum verò pleni Scriptorum omnium sunt libri: plena omnis
prisci ævi sunt Historiæ: plena Antiquitatum omnium sunt monumenta. U-
num interim è sexcentis aliis in præsenti adduxisse sufficiat. Tiberius nempe
tertius, juxta nonnullorum calculum, Romanorum Imperator, exemplo
eô nobis se offert. Huic, huic scilicet deficienti annulum, quem mox resti-
tuere requisiverat, detractum, fide dignissimus Historicus, Suetonius, in vitâ ejus re-
fert. Nec enim admittendi hic: qui Tiberium id denominandi hæredis caussa
fecisse censent. Nam etsi quidem Veterum consvetudo esset: ut annuli traditione
hæres & successor designaretur, haud secus ac Alexander, ne ille & nomine
quis, quum in mortis agone constitutus annulum suum Perdiccæ tradidisset,
eundem successorem designabat: annulorum tamen traditio hæc, testamento si-
licet extante, id efficere haud poterat. Ritus hujus caussam si diligentius
indagemus: non potest ea obviam nobis non esse: Annulos namq; morientibus
ideò detractos fuisse constat: ut ne in pollinctorum pervenirent manus, atque
ab iisdem raperentur. Redditos siquidem paulò post illos esse digito, & unâ cum
cadavere combustos, haud obscurè Propertius sequenti versu indicat:

Et solitum digito beryllon adederat ignis.

Posthæc uxores viris, & contrà viri uxoribus, parentes liberis, & vice versa
liberi parentibus, amici deniq; & cognati amicis suis & cognatis pietatis hoc
praestabant officium: ut oculos morientibus clauderent: quod Latini condere, fir-
mare, operire, premere, comprimere oculos vel lumina dicebant. Uxores autem
maritis oculos condidisse, meridiani Solis jubare clarius ex Homero patet.
Is enim Agamemnonem de hoc officio ab uxore Clytemnestrâ neglecto querentem
fingit (. Audiamus Poëtam. Sic verò ille sub Agamemnonis personâ ad Ulyssem
loquitur: Neq; mihi eunti ad Plutonis domos voluit manibus oculos compri-
mere, & os componere uxor, h.e. malas hiantes, atq; nimis cruciatibus defor-
matas corrigere. Maritos autem uxoribus supremum hoc exhibuisse officium,
num dubitatis, Auditores? Nolite quæso dubitare, A. plurimum
lendi. Ecce testem Ariadnen apud Pelignum illum Olorem, Ovidium